

A 6656

E8

Copy 1

PA 6656
.E8
Copy 1

656
E8

EXERCITATIONES
SALLUSTIANA E.

AD VENIAM LEGENDI IMPETRANDAM

SCRIPSIT

ADAM EUSSNER

DR. PHIL.

WIRCEBURGI.

TYPIS FRIDERICI ERNESTI THEIN.

MDCCCLXVIII.

PA 6656
E 8

2170172 (1987)

STATE OF TEXAS

COUNTY OF DALLAS

1987-1988

Exercitationes Sallustianae.

Quibus ut post Bentleium Hermannum Lachmannum simus contigit, cognovimus omnes, tria esse quibus ars critica in singulis scriptoribus exercenda contineatur, ut recenseat scriptoris reliquias, ut emendet, ut veram indaget originem. Ac de tertio quidem artis munere in praesentia dicere supersedeo; de recensione autem Sallustiana atque de emendatione paucis disserere in animo est, neque vero ita ut totum, quod criticis in Sallustio elaborantibus propositum est, iter quasi peragrantes describamus, sed ut singula tantum quasi cacumina et altitudines attingamus, unde latius liceat prospicere.

Recensionis igitur Sallustianae fundamenta iecit Carolus Ludovicus Rothius (Mus. Rhen. IX 129 sqq.). Cum enim antea plerique homines litterati in Sallustio quoque rectissime versari sibi viderentur, si quam plurimos ad editiones componendas adhiberent libros manu scriptos, scilicet obliti illius Pliniani, non numeranda sed ponderanda suffragia esse: haud paucis quidem locis e congesta variarum lectionum farragine felici iudicio optimam quamque eligebant vel, si minus probabantur omnes, coniecturis ex parte egregiis locos corruptos sanare studebant; ratione autem et via progredi et ubique speciosiora verioribus postponere nondum didicerant. Gerlachius vero, quod ex satis magno codicum numero Basileensem Parisinum 1576 Einsidlensem Turicensem Vaticanos (in primis 3864) utpote ceteris praestantiores elegit, ad quorum normam textum quem vocant constitueret,

haud dubie bene de scriptore meritus est. Sed certam quandam recensendorum codicum ansam primus Rothius, et Gerlachii et suo adiutus apparatus, adhibuit ita, ut a tribus lacunis profectus, quibus bona pars codicum foedata est: Iug. 21, 4 *de controversiis suis iure potius quam bello disceptare*; 44, 5 *neque muniebantur*; 103, 2 *necessariorum* — 112, 3 *pacem uellet* — ut igitur tale quoddam librorum stemma effingeret, quo tres codicum classes esse doceret: primam antiquissimorum librorum, qui ante XII saeculum scripti tribus illis locis laceri sunt; alteram eorum codicum, in quibus ampla in fine Iugurthini lacuna suppleta est; tertiam eorum, qui recentiores neque vero spernendi vel Iug. 21, 4 vel 44, 5 expleti sunt. Sed mox vidit vir doctus (cf. Mus. Rhen. IX 630 sqq.), se de hoc tertio genere errasse, atque omnino codices Sallustianos denuo esse peruestigandos, ut certo de cognatione eorum iudicio locus esset. Erravit autem, quod quidem ipsum fugit, cum maxime eo, quod plenissimum quemque codicem optimum esse censuit ita, ut recentiores libros ex integriore quodam fonte et puriore manasse contenderet.

Novam, quae multorum sane librorum cognitione niteretur, de codicibus Sallustianis sententiam tulit Rudolfus Dietschius, qui Rothii vestigia premens aliquanto tamen rectius de codicum pretio iudicavit. Et ipse enim librorum, qui Catilinam et Iugurtham continent, tria genera esse censuit: primum eorum, qui neque Iug. 44, 5 verba *neque muniebantur* habent et in eo libro extremo 103, 2 — 112, 3 mutili sunt; alterum eorum, in quibus hic locus restitutus est; tertium eorum, qui etiam 44, 5 *neque muniebantur* exhibent. Sed has librorum classes, ab eodem, id quod affirmavit, archetypo oriundas, ita comparatas esse docuit, ut recentiores codices, qui ad alteram et tertiam classem pertinent, vetustioribus illis, quibus prima classis continetur, longe postponeret. Cum igitur Rothius eas scripturas ad archetypum referendas esse putasset, in quibus recen-

tiores codices iique pleni cum vetustioribus lacerisque consentirent; si discreparent librorum genera, eas scripturas, quae in non contaminato exemplo alius generis item extarent: contra Dietschius recentiorum codicum testimonia adversus vetustiores nihil valere ostendit. De origine autem singularum codicum classium ita iudicavit: ex archetypo cum excidissent non nulla folia, primi generis libros conscriptos esse, tum cum folia illa essent reperta, alterum genus natum esse, postremo ex margine verba illa Iug. 44, 5 in continuum verborum ordinem esse illata.

Recensuit autem hanc Dietschii recensionem Eduardus Woelfflinus (Philol. XVII 519 sqq.) ea in hac quoque re ἀξιοβέλη insignis, cuius nuper in Tacito specimen posuit (Philol. XXV 92 sqq. XXVI 92 sqq. XXVII 113 sqq.). Ac primum quidem de codice Vaticano 3864 aliud neque vero omnino rectius quam Dietschius iudicium proposuit; quod enim hunc codicem ad examinandam reliquorum librorum fidem adhibendum esse negavit, recte fecisse putandus est; quod vero eiusdem lectiones ne a Dietschio quidem in textu constituendo satis exhaustas esse censuit, paulum a rei veritate videtur aberrasse.

Deinde de ea ratione, quae inter mutilos et plenarios intercedit libros, accuratorem disquisitionem Woelfflinus instituit; qua cum illud non effecisset, ut recentiores codices ad alteram, quae iam ipsis antiquitatis temporibus facta esset, recensionem pertinere demonstraret¹⁾, tamen veri simillimum esse probavit, integra exemplaria non ex eiusdem, a quibus truncati codices derivati sunt, libri foliis diu latentibus, postea casu quodam satis miro repertis esse suppletos; sed X vel XI

¹⁾ Contra Aemilius Brentano in dissertatione, quae de Sallustii codicibus recensendis inscribitur, diligenter exploratis Prisciani, Charisii, Diomedis, Gellii, Nonii, Sacerdotis, Quintiliani, Frontonis, Arusiani, Donati, Servii, Augustini, Lactantii, Hieronymi locis, quibus laudatur Sallustius, id certo eruit, ex his testimoniis alteri librorum Sallustianorum generi praesidium non oriri.

saeculo novum neque illud mancum exemplar, a lacero archetypo primae classis non multum differens, in lucem prolatum esse, quod alterius codicum generis extitisset fons. Haec autem Woelfflini sententia, Rothianae illi a Dietschio iure impugnatae primo obtutu simillima, tamen ita discrepat, ut omnino probanda esse videatur. Sic enim ut cetera ita illud quoque optime explicatur, quod Dietschio eiusque assentatoribus non potuit non mirum videri, supplementum illud Iugurthini postea non nullis primae quoque classis codicibus insertum multo vitiosius esse quam ceteras primae codicum classis partes. Quodque in Rothii sententia veri dissimilius fuit, tria per medium aevum Sallustii exemplaria inventa esse, quorum aliud alio fuisset plenius, ea difficultas, Woelfflinum si sequemur, dempta apparebit. Nihil enim obstat, quominus minores, de quibus supra dixi, lacunas locis in margine scriptis paulatim idque merito in orationis perpetuitatem illatis expletas esse putemus.

Iam vero ad tertium illud veniamus, quo Woelfflinus rectum de recensendis libris Sallustianis arbitrium mirum quantum adiuvit. Nam quod idem vir doctus et nova quaedam antiquorum scriptorum de locis Sallustianis testimonia protulit et fragmentorum, quae passim apud veteres inveniuntur, numerum auxit, nunc quidem praetereundum videtur. Codicem igitur Parisinum Sorbonicum bibliothecae imperialis n. 500, quem iure suo Dietschius pro firmissimo artis criticae in Sallustio exercendae subsidio et habuit et plerumque secutus est, ita cum Vaticano 3864 coniunctum esse Woelfflinus demonstravit, ut ad hunc ipsum sive potius ad librum huius simillimum ¹⁾ in orationibus narrationi interpositis Parisinum hic illic correctum esse ostenderet.

¹⁾ Parisinum non ad ipsum Vaticanum correctum esse exemplo libet demonstrare e Iug. 31, 10 petito. Hic enim *proinde*, quod in utroque codice legitur, a Parisini emendatore in *perinde* mutatum est, quod in codice quodam Vaticani prorsus simili extitisse putandum est.

Quid igitur omnino de librorum Sallustianorum fide atque auctoritate statuendum sit, accuratiore etiam quam Dietschius optimorum codicum cognitione adiutus Henricus Jordanus docuit in egregia commentatione Hermae volumini I pag. 229—250 inserta¹⁾. Et Jordanus quoque primum de Vaticano 3864 exposuit, quem quidem non nulla habere quibus valde commendetur concessit. Quod enim primum ab Orello coniectatum, postea a Woelfflino solita accuratione argumentis exornatum est, hanc quae in Vaticano inest orationum collectionem non medio aevo sed iam ipsis antiquitatis temporibus esse factam²⁾, id Jordanus quoque assensu suo comprobans scriptorem suasoriarum, quae in Caesarem senem de re publica inscribuntur, eundem illius collectionis auctorem fuisse suspicatus est. Idem vero Jordanus inde collegit, quod Linkerus, Dietschius, Woelfflinus³⁾, quamvis non possent non videre, tamen parvi fecerant, ab ipso illo rhetore in colligendis Sallustii orationibus sermonem usui scholastico ita accommodatum esse, ut verba cum passim eicerentur vel immutarentur, tum haud raro, quo elegantius existeret dicendi genus, transponerentur. Quo fit,

¹⁾ Cf. quae de Vaticano 3864 Jordanus disputavit in Mus. Rhen. XVIII 584 sqq.

²⁾ Iam uno saeculo ante scriptum Vaticanum i. e. s. IX in codicibus excerptas e Sallustio orationes extitisse, exemplo e codice Santeiano 66 nuper allato docuit Mauricius Hauptius in Hermae v. III p. 222. — De codice Bernensi 357 s. X, Vaticani persimili, nisi quod solas excerptas e bellis orationes continet, copiose disputavit Hermannus Usener in Mus. Rhen. XXII 413 sqq. — Utrum enim proximis ab Antoninorum aetate temporibus an non nullis saeculis post has orationes in corpus reductas esse statuas, ex parte inde pendet, cum quibus scriptis coniunctae illae in codicibus traditae sint. Veterum autem testimonia, quibus huiusmodi orationum collectiones a veteribus grammaticis institutas esse evincitur, videsis apud Woelfflinum (Philol. XVII 520) cf. O. Iahni praef. ad T. Livi epitomas p. XII sq. Jordanus in Herm. I 232.

³⁾ Cf. Linkeri praef. ed. p. VII; Dietschii commentatt. p. 12; Woelfflini censura editionis Dietschianae l. l. p. 520.

ut Vaticanus, quippe e diverso fonte antiquo etsi non nullis libris interpositis derivatus, diligenter quidem inspicere debeat, sed ut, cum eligenda loci alicuius scriptura est, postposita Vaticani auctoritate Parisinus n. 500 sit sequendus, a quo prae ceteris Sallustio petenda salus est. Aliud enim Sallustii emendandi fundamentum frustra circumspererunt quidam homines docti. Videbatur sibi quondam illud subsidium animadvertisse vir mea laude superior Carolus Nipperdeus, qui lectiones, quas olim Gruterus e codice quodam Nazariano adnotaverat, tanto ceteris praestare arbitratus est, ut nisi deperdito hoc codice iterum reperto Sallustii textum mediocriter restitui posse omnino negaret. Sed de huius quoque codicis gloria Iordanus multum detraxit, qui, quod iam Dietschius viderat, Nazarianum eidem ac Parisinum n. 500 generi adnumerandum esse adfirmavit idemque, cum eundem codicem interdum Palatinum I quoque a Grutero appellari ¹⁾ demonstraret, haud paucas corruptas ineptasque lectiones in illo inesse ostendit. Omnino autem de utriusque codicum et mutilorum et pleniorum generis cognatione ita sensit Iordanus, ut alterius generis i. e. recentiorum exemplarium archetypum ex ipso primae classis archetypo aut e quodam eius exemplo minus emendate scripto fluxisse statueret, sed accessisse ex alio quodam eoque pessimo codice, quem quidem ante saeculum XIII repertum esse putabimus, Iugurthini partem in mutilis libris omissam.

Quae cum ita sint, Iordanus in edendo scriptore eam legem secutus est, ut pauca e ceteris atque adeo ex interpolatis libris recipiens, quoad eius licet accuratissime ad an-

¹⁾ Miror hoc neminem suspicatum esse ante Iordanum, si quis in Iahni praef. ad Flor. p. VII legerat, in vetere codice Palatino Flori a. 894, qui liber fuit *beati Nazarii in laurissa*, Gruteri manu haec esse scripta: *Palatinus primus. ita istum uoco aut adeo Nazarianum.* — Adnotandum videtur, in eo quem nuperrime exhibuit A. Wilmanns (Mus. Rhen. XXIII 385 - 410) catalogo bibliothecae beati Nazarii in Laurissa codicis Sallustiani mentionem non fieri.

tiquissimi atque optimi codicis Parisini n. 500 scripturam textum quem dicunt constitueret. Quod quomodo effecerit, non mei iudicii est; iudicavit enim Theodorus Mommsenus (Herm. I 431), qui primum Iordanum pro pristini Sallustiani apparatus farragine ac mole pressum et solidum emendandi scriptoris fundamentum praestitisse testatus est. Neque vero desunt homines docti qui adstricto illo apparatu premi sibi videantur et praeter illum Iordani Parisinum etiam alterum, bonum illum quidem et antiquum, Parisinum 1576 ad diorthosin Sallustianam abhibendum esse censeant. Itaque Dietschius in recentissimo minoris editionis suae proventu quamvis paucis ita praefatus est, ut huic Parisino maius, quam Iordanus fecisse videbatur, pretium tribuerit. Conceptis autem verbis male iudicasse Iordanum de alterius libri Parisini auctoritate, quid? mira interdum sui Parisini superstitione captum esse arguit Io. Casp. Wirzcius. Qui quod arta propinquitate hos Parisinos inter se coniunctos esse affirmavit, rectam omnino Dietschii de hac re sententiam, quam ne Iordanus quidem infitias ivit, repetiit; idem quod gemellos dixit hos codices, audacius fortasse quam verius iudicavit. Neque vero nominis controversiam movebo: rem perpendam.

Exempla igitur, quibus e Catilina petitis Wirzcius suum de Parisini 1576 praestantia arbitrium illustrare conatus est, accuratius etsi quam brevissime contemplanda sunt. Sed de iis, quae omnino nullius momenti sunt ad utriusque codicis, et P i. e. Parisini 500 et P¹ i. e. Parisini 1576, auctoritatem ponderandam dicere non opus est. Quid enim sibi velint exempla velut illud e Cat. 32, 1 *multa antecapere*, ubi in utroque libro (in P¹ s. s.) extat *multa*, quod ut glossema expellitur a Wirzio, equidem me nescire fateor. Cat. 45, 2 quoque *permittit. illi homines militares* cum in utroque codice traditum sit, iudicium de praestantia alterius utrius non admittit. Item 25, 2, ubi utrum *viro liberis* an *viro atque liberis* scribendum sit quaeritur, *atque* ut in P ita in P¹ quoque extat, supra scriptum quidem, sed ut videtur a prima manu. Itaque ne hunc quidem

locum afferre attinet. Haud secus Cat. 7, 7 *memorare possum*, quod est in P¹ — P praebet *possem* —, cum ne comparari quidem possit cum exemplo e Iug. 31, 1 allato: *dehortantur ni . . . superet*, ubi coniunctivus praesentis positus est, nihil plane confert ad P et P¹ aestimandos; nam cum utraque scriptura ferri possit, utra praefenda sit, non ante exploratum codicum pretium sed postea discernere licet. Atque idem valet de Cat. 33, 2 ubi prima, ut est in P, an secunda, quam habet P¹, persona pronominis eligenda sit dubitatur. Simili modo se habet Cat. 51, 5 ubi Wirzcius se haud scire confessus est, an P¹ scriptura *infida et adversa* Po, qui praebet *infida atque adversa*, ut elegantior antepo-
nenda sit; non enim a singularum quarundam lectionum elegantia ad codicum bonitatem concluditur. Itaque Cat. 28, 2 quoque, quod praebet P¹ *quantum periculi* procul dubio elegantius est quam Pi lectio *quantum periculum*; sed num verius sit quaeritur. Cf. Iug. 14, 12 P: *multum laborem*, ubi item V *multum laboris* exhibet, quod cum sciolum correctorem sapiat, a Iordano (Herm. I 239) iure suo in suspicionem vocatum est. Atque eadem, quam Wirzcius sectatur, elegantia interdum ipsi scriptoris usui repugnat; velut Cat. 28, 4 quod *nonnullos ex Sullanis colonis* a Po¹ traditum aptius dici contendit, quam *colonis* quod servavit P, minus respexisse videtur locum huius prorsus similem Cat. 17, 4, quo ut a ceteris codicibus ita a Wirzii quoque Po¹ exhibetur: *multi ex colonis*. — Ac ne hi quidem, quos Wirzcius advocavit, loci Po¹ patrocinantur: Cat. 51, 21 cum nulum argumentum proferre potuerit Wirzcius, cur *in sententia addidisti*, quod praebet P¹, quam *in sententiam*, quod est in P, scribere mallet: quid refellam ego non habeo. Neque magis Cat. 51, 42 *sapientia maior illis fuit quam in nobis* putide dictum esse Wirzcius demonstravit, ut Pi¹ lectio *in illis* sequenda esse inde efficiatur. Mea quidem sententia Pi scriptura eo certius retineri debet, quod quamquam a solita latinorum scriptorum aequabilitate aliena item a V,

qui fere usitatiores dicendi formulas in rariorum locutionum locum substituit, servata est. — Cat. 52, 36 autem P habet: *quare ego ita censeo*; P¹: *quare ita censeo ego*. Cum igitur in neutro codice desit *ego*, diverso autem extet loco: aut uterque codex genuinum verbum etsi non eodem loco servavit aut uterque glossema adscriptum male in textum recepit. Neuter igitur codicum hoc loco alteri praestat.

Iam vero ab his locis a Wirzio prolatis, quibus ad arbitrium de utroque Parisino confirmandum uti non possumus ad eos transeamus, ubi re vera P levem corruptelam passus aliunde emendari debet. Sed uno saltem loco ipse Wirzcius ex P rectam lectionem Iordanum revocasse concessit Cat. 31, 5 ubi *dissimulandi causa aut sui expurgandi* haud dubie legendum est. Pi enim lectio *ut littera a post causa* facile excidente nata esse apparet. Nam huiusmodi erroribus sane abundat P; hos autem ut ex ingenio ita e Po¹ atque adeo ex aliis libris corrigere Iordanus non dubitavit; velut Cat. 16, 5 *ipsi consulatum petendi* pro *petenti*, quod P¹ P² et e deterioribus (z) unus liber servarunt, statim emendatorem requirit. Etiam Cat. 2, 8 *transiere* pro *transegere*; 8, 4 *qui fecere* pro *qui ea fecere*; 36, 1 *in agro Arretino* (e P¹ et duobus ex z) pro *reatino*; 60, 2 praepositionem *a* e P¹ contra P iure meritoque Iordanus repetiit. Item Cat. 37, 5 *alii qui per dedecora patrimonii amissis* pronomen relativum librarii negligentia in P repetitum esse Wirzio libenter concedo et miror profecto hanc Pi lectionem Iordano probatam esse; sed hoc quoque vitium ad scribendi errores redit. Eodem referendum est, quod Cat. 34, 1 vitium haud dubie in archetypo extans *ad senatu* pro *ab* in P a somnianti librario in *senatum* est mutatum. Item de Cat. 51, 15 valet, ubi P¹ *si ea* (sc. poena) *paulo severior fuit* praebet; P *sevir*, quam lectionem Iordanus in editione ita exhibuit, ut inde *saevior* efficeret, quod cum adverbio *paulo* non conciliari recte adnotavit Herzogius. Equidem *severior* scribendum censeo, Pi autem scripturam *sevir* ad illud cor-

ruptelae genus refero, qua librarius Pi perquam saepe singulis litteri saut syllabis neglegenter omissis non nulla verba immutavit, velut in primis Catilinae capitibus: 17, 2 *primum* pro *plurimum*; 20, 14 *optatis liberat* pro *optastis libertas*; 23, 1 *probi* pro *probrī*; 29, 3 *suum* pro *summum*; 31, 7 *estumarent* quod non in *aestumarent* sed in *existumarent* mutandum est.

Omnibus igitur locis, quibus corrigendum esse Pum ex Po¹ manifestum est, levis error, nunquam autem gravius vitium vel falsarii vestigium deprehenditur. Nam quos locos item tamquam mendosos et ex Po¹ sanandos a Wirzio tractatos deinceps retractabo, eos in Po recte traditos esse evincere mihi videor. Ac primum quidem ad usum scriptoris non nunquam Wirzīus confugit, ut Pi¹ scripturas Po praefereudas esse doceret; quod quomodo ei cesserit, paucis libet demonstrare. Cat. 46, 3 P secutus Iordanus exhibuit: *vocari ad sese iubet Lentulum Cethegum Statilium Gabinium itemque Caeparium Terracinensem*. Sed in P¹ aliisque legitur: *item quendam Caeparium*; in aliis iterum: *itemque Caeparium quendam*. Verum est quod Wirzīus ait, Sallustium scribere potuisse *quendam Caeparium*; neque vero debuit scriptor, quod potuit. Artis autem ratione illud *quendam* iam eo veri dissimile esse evincitur, quod in aliis libris alium obtinuit locum, quo argumento idem Wirzīus Cat. 52, 36 usus est, ut adnotationem sive inter lineas scriptam sive in margine positam in continuum orationis ordinem irrepsisse probaret. — Porro quae Cat. 50, 4 de usu scriptoris Wirzīus protulit, non omnibus numeris sunt absoluta. P enim, quem Iordanus secutus est, haec habet: *D. Iunius Silanus pedibus in sententiam Ti. Neronis iturum se dixerat, quod de ea re praesidiis additis referendum censuerat*. Hanc igitur scripturam Wirzīus propterea Pi¹ lectioni *qui de ea re* proponendam atque adeo falsam esse arbitratus est, quod dicendi usus aut hanc lectionem postulare aut certe *quod is*. Et re quidem vera Cat. 49, 3. Ing. 30, 2. 66, 2 pronomen *is* additur; neglexit vero Wirzīus aliis locis prorsus

similibus pronomem demonstrativum non addi velut: Cat. 19, 1 *Piso ... missus est adnitente Crasso, quod cum infestum inimicum Cn. Pompeio cognoverat.* 40, 5 *Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat.* 46, 5 *Consul Lentulum, quod praetor erat, ipse manu tenens perducit.* Iug. 86, 3 *Id factum alii inopia bonorum alii per ambitionem consulis memorabant, quod ab eo genere celebratus auctusque erat.* — Cat. 52, 29 *Prospera omnia cedunt, quod praebet P, immerito reicitur a Wirzio, qui cum Po¹ prospere scribere mavult.* Sed est illa lectio insolita quidem neque vero singularis; ideoque servanda videtur non minus quam similis similibus verborum structura Cat. 20, 2 *opportuna res cecidisset et* 26, 5 *quae occulte templaverat aspera foedaque evenerant.* Cat. 52, 20 *P cum V consentiens, id quod Iordanus recepit, praebet: si ita res esset; P¹, cui Augustini adstipulatur testimonium, habet: si ita esset, quod, quia cum Cat. 51, 11 et Iug. 85 42 conspirat, tamquam solum Sallustio aptum a Wirzio praefertur, quamvis illud iam Kviçala in copiosa commentatione ephemeridibus gymn. Austr. XIV 619 inserta defenderit. Mihi quidem nemo persuadebit, id quod omnino latinum est a Sallustio, quippe qui alias alia sed prorsus simili locutione uteretur, dici non potuisse. Quod Dietschius quoque videtur intellexisse, qui cum olim vocabulum *res expungendum* censuisset, postea in Iordani sententiam transiens in ed. a. 1867 codicem P secutus edidit: *si ita res esset.**

Quod vero codicem P¹ non nunquam, etiamsi integram scripturam ne ipse quidem servaverit, tamen corrigendi rationem ipsa corruptela indicare Wirzcius contendit, quantum hoc a rei veritate abhorreat optime in Cat. 39, 2 demonstrare licet. Hunc enim locum cum Gerlachio et Kritzio ad codicem P¹ ita exhibendum putavit Wirzcius: *Ipsi (sc. nobiles) innoxii florentes sine metu aetatem agere ceteros iudiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent.* Ritschelio aliter visum est, qui (Mus. Rhen. XXI 318) Pi vestigia secutus,

qui *ceterosque* praebet, simpliciter et ingeniose emendavit: *ceteros, qui plebem in magistratu placidius tractarent, iudiciis terrere*. — Alia sunt huiusmodi exempla, quorum unum ipse Wirzius suppeditavit; Cat. 27, 3 enim Rudolfi Rauchensteini, quam laudat Wirzius, coniectura propius a P quam a P¹ abest. Hic enim a manu prima *convocat M. Porcium* scriptum habet, quo fit, ut *propere ad M. Porcium* e P petendum sit, in quo *convocat per M. Porcium* extat. Duobus quae restant exemplis quid meae valeant quantulaecunque vires tentabo.

Cat. 14, 2, qui locus conclamatus multos vexavit et a multis vexatus est, in P¹ haec extant scripta: *impudicus aduiter alea manu ventre pene*, et *ganeo* supra scriptum. In P autem haec inest lectio, suppleta ex parte ab antiqua manu secunda, quae *ganeo* in margine et *pene* inter versus addidit: *impudicus aduiter ganeo manu ventre pene bona patria laceraverat*; cuius enunciati posterior pars inde a *manu* eodem modo tradita est apud Augustinum d. dial. p. 13 ed. Crecelius. Quodsi cum Wirzio aliisque altera terna vocabula cum priore vocabulorum serie minus apte conciliari statuiamus, quod in Sallustio accuratae verborum contentionis studiosissimo solito etiam magis offendit, in prioribus vocabulis aliquid turbatum esse arbitrabitur, idque eo magis quod in his ipsis verbis vetusti codices non interpolati ita variant, ut in aliis *alea* in aliis *ganeo* extet. Atque idem fere Koechlyus et Wirzius censuerunt, quorum ille priori enuntiationis parti coniectura succurrit. Locum enim Tullianum respiciens, qui est in oratione II in Cat. 10, 23: *omnes aleatores, omnes aduiteri, omnes impuri impudicique*, simulque P¹ scripturam intuens, quam supra attuli, coniecit: *impudicus aleator ganeo*. Cui coniecturae — speciosae profecto utpote a tanto viro excogitatae — si quis similem Ciceronis locum valde auxilio esse arbitretur, cogitet velim, Ciceronem respectant, ne vocabulum *aduiter* quidem resecandum fuisse. Quid autem omnino de Sallustio e Cicerone emendando tenendum siti

Iordanus docuit in dissertatione (Herm. I 235 sqq.), qua Linkerum alium Catilinae locum e Cic. Cat. I 2, 5 corrigentem refellit. Rectissime vero Koechlyus illud animadvertit, aut *inpudicus* aut *ganeo* delendum esse, cum alterum alteri interpretamenti loco additum sit. Simile glossema, quo locus in Taciti hist. I 22 foedatus erat, Urlichsius detexit, quem secutus Ritterus edidit: *adulteria [matrimonia] ceterasque regnorum libidines*. Ut igitur hoc loco Urlichsius *adulteria* sic nostro loco ego *adulter* retinendum puto; verbum *inpudicus* autem, quod a librario quodam tamquam explicatio vocabuli *adulter* adscriptum erat, quasi emendationem eius verbi, quod similitudine quadam litterarum cum illo continebatur, in textum receptum esse et verum vocabulum expulisse suspicor. Ac ne quis temere me in P tale vitiorum genus statuere arguat, eodem plane modo Iordanus emendavit locum Cat. 20, 7, pro codicis P scriptura: *strenui boni nobiles atque ignobiles* hanc proponens (Herm. I 234): *boni malique nobiles atque ignobiles*. Vocabulum *strenui* enim, verbi *boni* interpretandi causa additum expulisse videtur verum vocabulum *malique*, quod conicere licet e Iug. 67, 2 et ex Aur. Vict. Caes. 24, 9. Nostro igitur loco vocem *inpudicus* expungas, restituas *prodigus*, quod ad insequens *manu* eodem modo pertinet, quo *adulter* ad *pene*, *ganeo* ad *ventre* refertur. Adscribam locum qualem exhibendum censui: *prodigus adulter ganeo manu ventre pene* et q. s. — Cat. 35, 3 Wirzium item P¹ suum commendat, ita tamen ut unam voculam e P recipiat; nos in hac quoque re codicem P duces sequemur, cuius ne corruptelas quidem ad veram lectionem inveniendam inutiles esse cognovimus. Variant autem editores in hoc loco constituendo; in his enim, quae nobis, dum haec scribimus, praesto fuerunt, editionibus legimus primum apud Cortium: *publicam miserorum caussam pro mea consuetudine suscepi: non quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem; cum alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret* et q. s. Atque eodem modo, nisi

quod post *cum* vocula *et* addita est, Gerlachius (1823), Kritzius (1828), Fabrius locum scripserunt, qui quidem Parisinos non ea qua opus est accuratione cognitos habuerunt. Quod vero in eadem lectione acquievit Iacobsius (1864), circumspecti iudicii vir, quodque Linkerus (1864) ita locum immutavit, ut praeter *et* in *vel* mutatum voculam *cum*, quae in optimis libris deest, reciperet: improbandum videtur. Novam Dietschius (1859. 1864. 1867) emendationem est ausus. quae non solum a PV sed omnino ab optimorum codicum fide mirum quantum abest; scripsit enim: *non quia . . . solvere non possem, cum scilicet . . . persolveret*. At neque *quia* neque *cum scilicet* in optimis extat codicibus; P enim, quocum V consentit, sic habet: *non quin aēs alienum meis nominibus ex possessionibus solvere non possem et . . . persolveret*; similis est Pi' scriptura, qui tamen *non* a secunda manu supra scriptum habet et pro *et* praebet *sed*. Itaque ab utroque codice singula delibans Wirzius P¹ secutus *non* delendum, e P *et* pro *sed* recipiendum putavit. Aliam neque vero omnino diversam Iordanus viam ingressus vocabulum *non*, quamvis in P extet, et ipse eiecit, id quod audacius factum mihi videtur, cum praesertim voculam *et* in *at* mutaret eumque ne sic quidem durum quoddam, quod verbis ita constitutis inest, vitare posset. Novam igitur, quae quam minime recederet a libri P scriptura, emendationem circumspicienti mihi *quin* ex *qui* corruptum videbatur; *persolveret* autem, quod nemo hucusque attigit, ab inepto librario, male congruentiam cum *possem* sectante, ex *persolvēt* mutatum puto. Saepissime enim in P singulae verborum formae inter se confunduntur, velut Cat. 7, 4 *habebunt* pro *habebant*, 20, 8 *relinquere* pro *reliquere*; 20, 13 *habeamus* pro *habemus* et alias passim. Restitui igitur: . . . *suscepi, non qui aēs alienum meis nominibus ex possessionibus solvere non possem — et alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolvēt —: sed quod* et q. s. Haec enim quasi occupatio, per parenthesin dicta,

inducitur coniunctione *et*, quam *et quidem* significare Wirzium quoque vidit.

Itaque hic quoque tantum abfuit ut ad alterius codicis scripturam a P confugere cogeremur, ut e Pi corruptelis lectionem, quae ferri posset, eliceremus. Tot igitur locis, quos Wirzium ad confirmandam suam sententiam de utriusque codicis Parisini pretio fere pari tractavit, iterum perpensis nusquam P¹ praestantiorum quam P esse cognovimus, nisi quod hic codex levioribus scribendi erroribus saepissime laborans interdum sive ex P¹ sive ex aliis vel deterrimis libris sive de coniectura sanandus est. Hoc autem Iordanus quoque intellexit neque tamen hac re a recta Pi aestimatione prohibitus est.

Unum vero hucusque praeterivimus locum, quo item Wirzium Pi fidem infringere, P¹ auctoritatem augere conatus est, nos vel certissime minorem huius libri fidem demonstrare nobis videmur. Scilicet Cat. 51, 4 in P est: *Magna mihi copia est memorandi, p. c., qui reges atque populi . . . male consuluerint.* Sed V praebet: *quae . . . consuluerunt;* P¹: *quae . . . consuluerint.* Equidem ut *quae* pro *qui* legendum putarem, magis etiam quam testimonio Arusiani, qui cum V consentit, commoverer enuntiatione opposita: *sed ea malo dicere, quae maiores nostri . . . fecere.* Cum vero hoc loco indicativus positus sit, dubitatione caret, quin in priore quoque enuntiato, pronomine *quae* pro interrogativo *qui* substituto, indicativus ponendus eaque lectio restituenda esset, quam praebet V. Quam ob rem hic quoque exemplum deprehendere mihi videor, quod Sallustianum variandi studium a Vaticano correctore minus intellectum structurae, quo concinnior existeret oratio, mutandae fuit causa. Sed utut haec res se habet, codicem P¹ hoc loco multo deteriore esse quam P et V manifestum est, quippe qui non unam alteramve praebet lectionem, sed tertiam quandam e duabus illis ita contaminatam, ut pronomen relativum cum V, cum P congruat verbum.

Sed de duobus Parisinis haec sufficiant, quae indicavimus magis quam absolvimus. Nam et inutile est singulis utriusque libri scripturis ad unam omnibus proferendis atque comparandis legentes morari; et confidere licet Wirzium ea e Catilinario elegisse exempla, quibus cum maxime suae sententiae suppetias ferri putavit. Quod si minus bene ei cessisse intelleximus: maneat profecto quod statuit Iordanus, codicem P pro fundamento Sallustianae recensionis esse habendum. Quid quod non nullis locis ipsum Iordanum immerito a P discessisse persuasum habemus! Velut de ratione ac formula scribendi Iug. 6, 3 *oriretur* in P traditum, a Iordano iure receptum est. Iug. 72, 1 *oreretur* extat in P, quod item merito Iordanus scripsit. Sequitur ut Cat. 34, 2 quoque *oreretur*, quod praebet P, retinendum sit, id quod Iordanus nescio quo pacto repudiavit. — Simili modo Iug. 13, 6 *praecipit*, quod cum multis praebet P quodque P¹ supra scriptum habet; idem iterum verbum, quod contra omnes, quotquot innotuerunt, libros Cat. 41, 5 correxit Linkerus, quem Iordanus secutus est, retinendum erat. Cf. Fleckeiseni adnotatio in Dietschiana editione a. 1867 p. VI.

Haec habui quae in praesentia de Sallustio recensendo quasi appendiculam quaestionis a Iordano absolutae, sed postea impugnatae proferrem. Iam vero quaenam emendationis Sallustianae leges sequendae sint, paucis exemplis allatis videamus. Has autem leges eruere licet tum ex illius codicis, quem ceteris praestantiorum cognovimus, universa indole, tum ex usus Sallustiani circumspecta accurataque cognitione. Atque ut de illo prius disputemus, quod secundo loco posuimus, cum huius usus singulas quasdam proprietates ab ipsis antiquitatis temporibus ad nostram usque aetatem homines docti cognitae haberent neque vero universum dicendi genus pervestigantes sub unum quasi conspectum darent: factum est, ut non nunquam, quod alias in Sallustii scriptis occurrit, tamquam plane solitarium removerent, quodque re quidem vera, ut

in tanta reliquiarum exiguitate, singulare est, neque vero scriptoris ingenio repugnat, reicerent et omnino coniectandi temeritate in nostrum saevirent quodam modo; aut, cum quaedam, quippe a sermonis Sallustiani usu aliena, ferri nequire minus perspicerent, satis miras obtruderent scriptori explanationes. Quam ob rem diserte edixit Fridericus Ritschelius, si quis ante oculos sibi ponere velit, quantum ars interpretandi efficere potuerit et locutionum portentis et sententiarum monstris proferendis, ei recentiores, qui in Sallustium compositi sunt, commentarios evolvendos esse. Cui praeclarissimi viri iudicio, sive damnationem vocare mavis, neminem non assensurum puto, qui aliquantum temporis in hisce libris legendis consumpsit, sed ita assensurum, ut quantum a quibusdam nostrae aetatis enarratoribus, Dietschio dico et Iacobsio et Kritzio et Linkero, ad scriptorem recte intellegendum congestum sit, grato animo agnoscat. Ac ne ii quidem defuerunt, qui de universo sermone Sallustiano exponerent¹⁾. Neque vero hucusque id effectum esse mihi videtur explicando et interpretando ut — id quod summum philologiae propositum est — de hoc quoque scriptore non hae illae quamvis verae opiniones circumferantur, sed ut accurato iudicio singulae de singulis sermonis proprietatibus sententiae comprehendantur, utque rerum scriptoris non vana quaedam imago, sed expressa circumscriptaque effigies in eorum, qui ad Sallustium et interpretandum et emendandum aliquid conferre sibi videntur, mentibus haereat. Velut brevitatis Sallustianae multi admonent, quae quomodo cum praegnanti orationis ubertate coniuncta sit, non curant; variandi studium iure suo tamquam proprium scriptoris praedicant, qui qua delectetur sermonis aequabilitate, vix

¹⁾ Cf. Badstuebneri de Sallustii dicendi genere commentatio (Berol. 1863). — Alteram de dicendi genere Sallustii commentationem, quam scripsit A. Laws (Roessel. 1864), quod quamvis magno opere sectatus assequi non potui, vehementer doleo.

intelligunt; quid quod sententiarum laudant gravitatem copiamque, easdem paene ubique cogitationes atque iisdem fere verbis expressas occurrere non ita cognitum habent; mirabilem ingenii humani cognitionem rerumque publicarum scientiam in historico merito extollunt, quem cum in temporum rationibus tum in regionum descriptionibus parum diligentem esse videre nolunt; denique antiquarum sectatorum locutionum nuncupant, quem eundem verborum esse novatorem minus perspiciunt. Quod ne quis temere a me iactari autumet, singulis singula exemplis liceat confirmare.

Ac de brevitate quidem Sallustiana et multi veterum scriptorum dixerunt, quorum testimonia nuperrime a Teuffelio (*Ueber Sallust und Tacitus* p. 19 sq.) collecta repetere nolo, et recentiores enarratores ad unum omnes. Et tamen non nulli loci adstricto dicendi genere paulo obscuriores tantum abest ut simpliciter explicati, ut coniecturis vexati sint. Velut. Iug. 5, 5 *Igitur amicitia Masinissae bona atque honesta nobis permansit. sed imperi vitaeque eius finis idem fuit.* Coniunctio *sed* iam a Boieseno in suspicionem vocata, in *et* mutata est; quae coniectura cum nescio quid languidi efficeret, editoribus displicuit quidem, sed inlexit tamen Linkerum et Dietschium, ut coniunctionem *sed* uncis includerent sive delerent. Sed quod coniunctione deleta nascitur asyndeton valde improbandum videtur. Utitur enim Sallustius hac dicendi figura plerumque, ut explicationem inducat vel oppositum aliquod significet, id quod a nostri loci sensu plane abhorret. Contentione enim verborum instituta, cum *amicitia Masinissae* et *imperi vitaeque eius finis* sibi opponantur, pronomen *idem*, quod pertinet ad *imperi finis* compararetur cum adiectivis *bona atque honesta*. Verum coniunctio *sed* illa, qua Sallustius in suis Thucydidem castris cecidisse a Seneca dicitur, brevitate usurpatur, quam reticentiam nominaverim, et explicatur iis quae deinceps sequuntur verbis: *Dein Micipsa filius regnum solus obtinuit, Mastanabale et Gulussa fratribus morbo absumptis.* Scimus enim et e Livi epit. L et

ex Appiani bello Lib. 106, Masinissa Numidiae rege maiore annis XC mortuo a P. Scipione Aemiliano partes imperi ita divisas esse, ut Micipsa pro rege esset, Mastanabal ius iudiciumque omnium rerum haberet, Gulussa arbitrium belli pacisque ageret. Haec igitur est loci sententia: Amicitia Masinissae bona quidem fuit; *sed* imperio post eius obitum diviso ita interrupta est, ut demum, cum Gulussa et Mastanabale fratribus morte absumptis ad solum Micipsam regia potestas rediisset, illa quoque regis amicitia resuscitaretur. — Vides quam non intellecta sit hoc loco illa, quae laudatur a Quintiliano, Sallustii velocitas.

Alterum possem afferre locum (Cat. 14, 4: *Si quis . . . inciderat par similisque efficiebatur*), quem brevitate insignem quasi per pleonasmum dictum esse docti putarunt, donec Woelfflinus subtilissimo brevitatis artifici suum restituit; etenim non nullos pares, non nullos similes fuisse indicare voluit scriptor. Sed transeo ad abundantiam orationis item brevi ¹⁾ Sallustio usitatam. Cernitur autem multifariam haec ubertas et copia; e. g. nomina cum emphasi dicuntur, velut tritum illud *mortales pro homines*, quam locutionem a Livio quoque et Plinio ²⁾ aliisque usurpatam e Claudio Quadrigario Sallustium petiisse Gellius XIII 29 indicare videtur. In personis significandis circumscriptione quadam utitur scriptor, velut Cat. 3 *imbecilla aetas pro ego adolescens*; 5 *iuventutem suam pro se*; *corpus patiens inediae et vastus animus pro is*. Frequentativa amat pro simplicibus verbis, velut *agitare pro agere* et similia multa; item composita verba, ut *efficere pro facere*; item verba cum substantivis vel participiis iuncta, ut *pensi habere pro pendere*. Singulas notiones binis vocabulis exprimit, cf. *liber ac solutus, malus pravaeque, virium opes, reges atque imperatores; vivere atque frui*

¹⁾ *Sallusti brevis* scripsit Statius, neque vero quod Teuffelius dixit (l. 1. p. 20) in Thebaide, sed Silvarum l. IV. c. 7.

²⁾ Cf. Grasberger, de usu Pliniano p. 95.

anima; facilia factu, semper ad optimum quemque. Figura utitur Sallustius ea, quam ἐν δὴὰ δύοϊν vocitant Graeci, ut *clara aeternaque* i. e. *claritate aeterna, periculo atque negotiis* i. e. *negotiorum periculo.* Pro nudo casu ponit casum cum praepositione iunctum e. g. *in parte tertia Africam posuere pro partem tertiam.* Polysyndeton adhibet inque primis epanalepsi quadam delectatur, qua aut subiecto enuntiationis, quo magis extollatur, pronomen demonstrativum adiungitur, velut *sed urbana plebes ea vero praeceps erat;* aut singulis rei cuiusdam partibus enumeratis tota iterum res significatur, velut *utrumque per se indigens alterum alterius auxilio eget; divorsi pars ingenium, alii corpus exercebant.* Illud quoque adnotandum videtur, quod pro verbo substantivo alia verba amat substituere, cuius generis est *virtus clara aeternaque habetur; obsessus teneor.*

Huc Cat. 3, 4 pertinet: *inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur.* Qui locus non nullis enarratoribus, veluti Kritzio, Fabio, explicatione minus egere videbatur, a quibusdam minus recte, nisi fallor, tractatus est. Atque inter hos quidem Dietschius *inter tanta vitia* iunxit cum *tenebatur*, quod nihil aliud potest significare, nisi Sallustium vitiis, quae supra dicta sunt, i. e. audacia largitione avaritia obstrictum esse, id quod abhorret ab universa loci ratione. Porro idem ir doctus quod *corrupta* non ad *aetas*, sed tamquam casu ablativo positum ad *ambitione* pertinere putat, duplici causa se commotum profitetur, primum quia superflue quoddam videatur — quasi abundans ubertas in Sallustio esse non possit —; deinde quia ambitio per se non vitiosa sit et propterea vocabulo *corrupta* definiri debuerit; — at vero item definitur, si *corrupta* ad *aetas* referas, nam si *aetas* *ambitione* dicitur *corrumpi*, *corruptentem* illam *ambitionem* fuisse sequitur, neque necesse est cum Dietschio hanc sententiam eo velle efficere, ut *corrupta* sensu activo positum contendas. Rectissime vero Dietschius *imbecilla aetas* pro *ego iuvenis imbecillus* dictum statuit; nam

Klimschae de hac re commenta recoquere inutile est. Sen- sum igitur loci hunc esse manifestum est: Cum multa per rem publicam propagata essent vitia, ego adolescentulus non sum aequè corruptus, ut multi, quo factum est, ut non tenerer nisi uno vitio i. e. mala ambitione. Cf. Iacobsii ad hunc locum adnotatio.

Neque vero in singulis tantum locutionibus pleonasmum quendam deprehendimus: omnino scriptor, qui in narrando et exponendo pressus est et adstrictus, discurrit in pro- oemiorum praesertim altius repetitorum ambitu, qua de re plura huc afferre supersedeo. Haec autem omnia quae de pleonasmo Sallustiano indicavi, non quo singularia nostro- que scriptori propria essent, in conspectum dedi; sed ut, in qua ceteri versantur latini scriptores orationis abundan- tia, eam ne a Sallustio quidem alienam esse demonstrarem.

De variandi studio scriptoris fusius disputare nihil attinet, quippe quod nemo in scriptore nostro legendo me- diocritè versatus non possit videre; variat autem Sallustius permultis modis, velut concretis abstracta miscens e. g. *ventri ac somno*; primarias verborum notiones cum trans- lationibus coniungens; singula verba ad binos casus referens, ut *armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti*. Omnino comparativum et superlativum, singularem et plura- tivum numerum, casus, tempora, modos, genera, denique adiectiva et adverbia (*quo modo rem publicam habuerint quan- tamque reliquerint*) inter se mutat, substantiva cum adiecti- vis componit, ut *magna vi animi — ingenio pravo; agreste — sine legibus — solutum*. Varietatem autem illam a libra- riis atque adeo editoribus non nunquam parum perspici, exemplo supra (p. 165) allato demonstravi; item de aequa- bilitate dicendi Sallustiana deque concinna verborum con- tentione iam antea (p. 169) paucis monui. Nulla igitur mora interposita ad illud contendam, quod dudum orationem ad sese vocat.

Miro prae ceteris scriptoribus Romanis quo Tacitum paene aequat excellit Sallustius sententiarum pondere et gravitate; idem tamen sententiarum copia et varietate mirum quantum Tacito inferior est. Nam iterantur saepissime sententiae, neque vero ita, quod nemini non accidit scriptori, ut eadem modo hac modo illa ratione expressae varietatis speciem quandam praebeant; sed eadem, iisdem fere verbis dictae, praesertim in orationibus et prooemiis, quae prae ceteris librorum partibus sententiis ornatae sunt, iterum iterumque proferuntur. Quid quod non singulae tantum, sed totae sententiarum series bis apud nostrum occurrunt, cuius rei duo exempla adscribam:

Ac primum quidem Catilinae et Iugurthae prooemia simillima sunt:

Catilinae prooemium.

- 1) *Nostra omnis vis in animo et corpore sita est.*
- 2) *Rectius videtur, ingeni opibus memoriam nostri quam maxime longam efficere,*
- 3) *quoniam vita brevis est.*
- 4) *Divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est.*
- 5) *Virtus clara aeternaque habetur.*
- 6) *Compertum est; plurimum ingenium posse.*
- 7) *Sed multi mortales, dediti ventri atque somno, vitam transiere.*

Iugurthae prooemium.

- 3) *Nam genus hominum compositum ex animo et corpore est.*
- 2) *Si bonarum rerum cura esset, pro mortalibus gloria aeterni fierent.*
- 1) *Falso queritur genus humanum, quod aevi brevis sit.*
- 4) *Praeclara facies, magnae divitiae brevi dilabuntur.*
- 5) *Ingeni egregia facinora immortalia sunt.*
- 6) *Animus aeternus, rector humani generis.*
- 7) *Sed multi dediti corporis gaudiis aetatem agunt.*

- 8) *In magna copia rerum aliud aliū natura iter (praeclari facinoris aut artis bonae) ostendit.*
- 9) *(Pulchrum est) bene facere rei publicae.*
- 10) *Bene dicere haud absurdum est.*
- 11) *Ego adolescentulus studio ad rem publicam latus sum, ibique mihi multa adversa fuere. Nam auidacia, largitio, avaritia vigeabant.*
- 12) *Reliquam aetatem a re publica procul habendam decrevi.*
- 13) *De Catilinae coniuratione absolvam.*
- 14) *Pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.*
- 8) *Variae sunt artes quibus claritudo paratur.*
- 9) *Cura rerum publicarum (minime hac tempestate cupiunda videtur).*
- 10) *Memoria rerum gestarum magno usui est.*
- 11) *Si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratus adeptus sim, et quales viri idem adsequi nequiverint, et postea quae genera hominum in senatum pervernerint, profecto existimabunt, me magis merito quam ignavia iudicium animi mei mutavisse.*
- 12) *Decrevi procul a re publica aetatem agere.*
- 13) *Bellum scripturus sum.*
- 14) *Prius quam huiusce modi rei initium expedio, pauca supra repetam.*

Atque eadem fere similitudo intercedit inter eam orationem, qua Catilina socios suos in unum convocatos in abdita aedium parte cohortatus est (cap. 20), et eam, quam Etruriae montibus et copiis consulis clausus concione convocata ad suos habuit milites (cap. 58):

Cat. 20.

- 1) *Virtus fidesque vostra spectata mihi.*

Cat. 58.

- 1) *Compertum ego habeo, verba virtutem non addere.*

- 2) *Sed ego quae mente agitati audistis.*
- 3) *Quae condicio vitae futura sit, nisi nosmet ipsi vindicamus.*
- 4) *Pauci potentes; ceteri volutus fuimus.*
- 5) *Gratia potentia honos divitiae apud illos; nobis relinquere pericula repulsas iudicia egestatem.*
- 6) *Nonne emori praestat?*
- 7) *Verum enim vero victoria in manibus nobis¹⁾ est, viget aetas, animus valet.*
- 8) *Tantummodo incepto opus est.*
- 9) *Illis divitiae superant; at nobis est domi inopia, foris aes alienum. Quid reliqui habemus praeter animam?*
- 10) *Quin igitur expergiscimini?*
- 11) *Res tempus pericula egestas, belli spolia hortantur.*
- 12) *Nisi forte vos servire magis quam imperare parati estis.*
- 2) *Sed ego vos advocavi, ut causam mei consili aperirem.*
- 3) *Socordia Lentuli quantam nobis cladem attulerit.*
- 4) *Quo loco res nostrae sint, omnes intelligitis.*
- 6) *Divitiae decus gloria, libertas atque patria, si vincimus omnia nobis tuta erunt; si metu cesserimus, eadem illa advorsa fient.*
- 5) *Diutius... esse egestas prohibet.*
- 10) *Magna me spes victoriae tenet. Animus, aetas, virtus vostra.*
- 9) *Audacia opus est.*
- 7) *Illis supervacaneum est pro potentia paucorum pugnare; nos pro patria pro libertate pro vita certamus.*
- 8) *Haec sequi decrevistis.*
- 11) *Animus aetas virtus vostra me hortantur, praeterea necessitudo.*
- 12) *Cavete, ne capti potius sicuti pecora trucidemini quam virorum more pugnantibus cruentam atque luc-*

¹⁾ Non enim video cur a P, quocum Priscianus consentit, recedens Iordanus p sequatur.

*tuosam victoriam hostibus
relinquatis.*

De nimia illa, quam Pollio in Sallustii scriptis reprehendit, priscorum verborum affectatione non repetam, quae bene exposuit F. Deltour in eleganti commentatione, quae de Sallustio Catonis imitatore inscribitur (Paris. 1859). Ac de novatore verborum quoque satis habeo, iis, quae Teuffelius l. l. collegit, veterum scriptorum testimoniis Gelliana duo addidisse: N. A. VI 17, 8 ubi noster *novius pervulgatiusque verbum* adhibuisse, X 21, 2 ubi item *novum verbum* usurpasse dicitur.

Omnino vero de Sallustiano dicendi genere monendum duco dicendi usum non esse tyrannum inexorabilem, qualem non nulli sibi effinxisse videntur, qui in legibus, quas ex ipsis exemplis evincere licet, non acquiescentes, ad praeoccupatas interdum opiniones quasi ad veram normam singula, quae ipsis displicent, dirigere non dubitant. Velut de nominum propriorum usu apud Romanos scriptores disputans Lahmeyerus (Philol. XXII 469—494) tres Sallustianos quoque attigit locos, quos, quia praeceptis ab ipso propositis repugnabant, vi adhibita ad suum arbitrium mutavit. Cum enim a Caesare illud novatum esse contenderet, ut nomen gentile, omisso praenomine, cum cognomine coniunctum priorem obtineret locum: huius usus duo exempla, quae apud Sallustium antiquarium extant, immutanda putavit. Sed Iug. 15, 3 ut ante *Aemilius Scaurus* praenomen *M.*, quod omnes libri ignorant, addam, ne Dietrichii quidem argumentis commoveor, qui et ipse suas sibi normas fingens iusto pluribus locis praenomina quamvis repugnante codicum scriptura inseruit. Itemque Cat. 32, 2 *Marcium Regem*, quippe quod tueantur omnes codices praeter unum nequissimum l ad Lahmeyeri arbitrium transponere dubito.

Idem Lahmeyerus (Philol. XXII 63—69) de asyndeto in consulum nominibus iungendis ita disputavit, ut, si singula consulum nomina ponuntur, coniunctionem *et* adhiberi doceret, velut in or. Macri 10 *Bruto et Mamercio consulibus*, quod recte traditum in V male impugnavit Dietschius (ad hunc locum ed. 1859). Cum vero bina ternave consulum nomina (sive praenomen cum nomine gentili sive illud cum cognomine sive cum utroque) ablativo absoluto posita sunt, et ubicunque praeterea ad annum significandum scribuntur, ἀσυνδετώσ ea exhibenda esse Lahmeyerus contendit. Quod praeceptum num in Sallustium quoque quadret, codicis P scriptura exploranda videamus. Ac de iis locis, quibus bina consulum nomina non ablativo absoluto sed alio casu posita sunt, hoc dixisse sufficiat, in P semel asyndeton deprehendi Iug. 27, 3 *consules declarati P. Scipio Nasica L. Bestia*; quater coniunctionem *et* extare, Cat. 18, 2 *P. Autronius et P. Sulla designati consules*; 18, 5 *L. Cottam et L. Torquatam consules*; Iug. 43, 1 *Metellus et Silanus coss. de s. s.* — Neque ii loci magni momenti sunt, qui e deperditis Sallustii historiarum libris leguntur apud Rufinum de comp. et metr. orat. p. 192 Orell. et Priscianum XV p. 64 Hertz. fragm. I 1 D: *M. Lepido Q. Catulo consulibus*; et apud Victorium ad Cic. Rhet. p. 5 Orell. fr. I 8 D: *Ser. Sulpicio et M. Marcello consulibus*. — Sed ter in Catilina ablativum absolutum legimus: 17, 1 *L. Caesare et C. Figulo consulibus*, ubi omnes libri praeter μ et tuentur; 18, 2 *L. Tullo et M. Lepido consulibus*, ubi *et* in plerisque codicibus iisque optimis traditum est; 38, 1 *Cn. Pompeio et M. Crasso consulibus*, ubi *et* in omnibus extat codicibus. Videlicet omnes Lahmeyero repugnant.

Caveamus igitur ne scriptori scribendi leges vel subtilissime excogitatas obtrudamus, nisi quae maiore exemplorum numero satis firmatae sunt. Est enim, quod olim Godofredus Hermannus monuit, ars quaedam nesciendi; et praesertim in scriptorum Sallustianorum, quae extant, tam

angusto ambitu non nulla sunt et erunt, quae ad certam regulam minus revocari possint.

Item de rebus ipsis, quas narrat Sallustius, illud tenendum est, ea quae scripsit noster non omnibus numeris esse absoluta. Velut nemo negabit, rerum ordinem, qui est in Cat. capp. 26–31, minus probandum esse, sed immerito Linkerus singulis capitibus transponendis rectam narrationis seriem restituere sibi videbatur, quamquam non nulli homines docti ei assensi sunt, ut Dietschius, qui in ed. 1859 argumentis haud spernendis Linkerum impugnavit, in posterioribus edd. 1864 et 1867 se in Linkeri sententiam transiisse confessus est. Sed, ut de iis, quae Theodorus Wiedemannus (Philol. XXII 495 sqq.), alii contra Linkeri commentum monuerunt, taceam: non librariorum sed Sallustium illa transpositione corrigi, vel firmissime eo demonstravit Mommsenus (Herm. I 437), quod ne facta quidem transpositione verum ordinem rerum restitui docuit. Atque illud quoque, quod Doederleinius Cat. 51, 39 verba quaedam de Graeciae more, rerum veritati repugnantia, transponenda proposuit (Philol. IX 579), nihil aliud est nisi ipsum corrigere scriptorem. Quid enim obstat, quominus ipsum Sallustium in singulis non nunquam errasse credamus? Neque vero ea ignorare potuit Sallustius quae nemo non aequalium scire debuit, velut C. Murenam non *citeriori* Galliae legatum praefuisse (Cat. 42, 3 cf. Cic. p. Mur. 41, 89) sed *ulteriori*, quod recte scripsit Cortius. Item Jug. 43, 1 *consules designati*, quod cum temporum rationibus conciliari nequit, non ingeniosa solum sed vera coniectura a Mommseno (Herm. I 430) in *consules de senatu sententia* mutatum esse, ipsius ostendit mutationis facilitas (*cons. dess. — cons. de s. s.*). Sed haec hactenus.

Iam ad illud veniamus, quod alterum mihi propositum est, ut de codicis P n. 500, quem diorthoseos Sallustianae fundamentum cognovimus, universa indole paucis

agamus. Multis igitur locis Pi scripturam a perversis emendandi studiis vindicare conati sumus; neque vero unquam mendosum eum esse negavimus, quod quidem omnino negari nequit. Quae enim Urlichsius ¹⁾ in Plinio suo statuit emendandi genera, ea pro ingenio codicis P in Sallustio quoque adhibenda sunt, ubi item restituendo interpungendo mutando transponendo delendo supplendo, ut veram adsequamur scripturam, eniti debemus, id quod exemplis liceat demonstrare.

Ac restituenda quidem, quae in P dignosci potest, archetypi scriptura ipsi Sallustio suum dare mihi videor Cat. 18, 4: *Erat eodem tempore Cn. Piso, adolescens nobilis summae audaciae, egens factiosus, quem ad perturbandam rem publicam inopia atque mali mores stimulabant.* Sic Iordanus codicem P — ut videtur — secutus hunc locum exhibuit: sed dubium non est quin sic ferri nequeat. Enuntiatio enim pronomine relativo adiuncta mirum quantum languet quippe quae idem prorsus recoquat, quod iam ipsis vocabulis *egens factiosus* exprimitur. Sensus enim huius scripturae hic est: *egens factiosus, quem ad factiose agendum egestas stimulabat.* Legimus quidem iuxta *inopia* alterum substantivum *mali mores*; sed hoc additamento tantum abest ut minuatur difficultas, ut gravior etiam existat. Videlicet priora bina epitheta *nobilis summae audaciae* nude posita sunt; altera bina explicata esse a scriptore, ea indicatur ratione, quae inter *egens* et *inopia* intercedit. Desideramus igitur in iis quae antecedunt verbis epitheton quoddam, quo *mali mores* aequae referatur, atque *inopia* ad *egens* pertinet. Exspectamus autem, de factiose agendo, cum novi aliquid in enuntiato relativo inesse debeat, nisi in hoc enuntiato mentionem non inici. Ne igitur multa: *factiosus* est corruptum; quod quomodo emendandum sit, non coniectando opus est, sed

¹⁾ Disp. crit. de num. et nom. propr. in Plin. h. n. p. 4.

P accuratissime et excutiendus et sequendus. In hoc enim libro *facti**osus* ita scriptum extat, ut duae litterae *di* erasae sint. In archetypo igitur sive in eius protarchetypo, ut ita dicam, infuisse manifestum est FACTIDIOCVC quod a librario non ut debuit *fastidiosus*, sed perperam *factidiosus* lectum, postea duabus litteris erasis in *factiosus* depravatatum est. Id eo facilius fieri potuit, quod adiectivum *factiosus* in Iugurthino saepius coniungitur cum *nobilis*, quod nostro quoque loco extat, cf. 8, 1. 15, 4. 28, 4. 77, 1; sed quod alias rectissime positum est, alias pessime se habere posse manifestum est. Ac ne quis miretur, vocabulum *fastidiosus* in exigua scriptorum Sallustianorum, quae per temporum vicissitudines servata sunt, copia nisi nostro loco non reperiri, conferat velim alia vocabula solita omnino, a Sallustio semel posita, velut *abdico abiuro adcumbo adfigo adfinitas adflecto adigo adlevo adicio admitto admodum admoveo* multa quae ex indice Dietschiano repetere molestum est. Quod vero ex antiqua litterarum forma corruptelam explicavi: similiter *dissedere* ex *discedere* corruptum est cf. Herm. I 244.

Interpungendo autem quantum conferatur ad interpretandum Sallustium paucis sed luculenter in censura editionis Iacobsianae docuit Linkerus (Diar. gymn. Austr. VI 41 sq.). Hac igitur re missa mutando quoque emendari Sallustium, novo exemplo conabor ostendere. Iug. 93, 8: *Itaque ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque quam velocissimos delegit et cum eis praesidio qui forent quattuor centuriones omnique Liguri parere iubet et ei negotio proximum diem constituit.* Tanta hunc locum accuratione tractavit Iordanus (Herm. I 249 sq.), ut de sententia iam dubitari nequeat, de singulis verbis nondum constet. Retractabimus igitur locum ita, ut cum cetera, quae Iordanus effecit, in nostrum usum convertamus tum illam rationem, qua 94, 1 *illi qui e centuriis erant* ut optimi codicis P auctoritate ita sensu verborum prae cetera

scripturae varietate, ne ea quidem excepta qua *qui ascensuri erant* exhibetur, commendari demonstravit. Nam quae sola in his verbis remanet difficultas, num *e centuriis* eodem fere sensu ut *e manipulis* pro militibus legionariis dici potuerit a Sallustio, necesse est collato eo loco, qui extat in fine cap. 93 tollatur. At vero hic legitur *centuriones*. Sed centuriones, non milites delectos esse, qui cornicibus praesidio essent, iam Frontinus, qui vocatur, legisse sed veri dissimile putasse videtur, qui quidem centurionibus illis Sallustianis milites adiungendos censuit in ea narratione, quam Strat. III 9, 3 inseruit: *Centuriones, quibus perfectissimos cum velocissimis militibus aeneatores immiscuerat*. Hoc igitur inter Sallustii et Frontini narrationem discrimen ut tollerent, sive Sallustium sive Frontinum corrigendum esse docti putarunt: itaque Frontino Dederichius, Oudendorpius, quem secuti sunt multi ad Dietschium usque, Sallustio scripturam a libris iusto magis discrepantem obtruserunt. Merito autem Iordanus Sallustium — nam de Frontino hic dicere alienum puto — emendandum fortasse neque vero interpolandum arbitratus est; quodque in editione sua inter *forent* et *quattuor* voculam *et* inserendam ratus in margine tantum adscripsit, meliore iudicio usus videtur, quam qui in Zarnckii ephem. litt. a. 1867 n. 15 illud *et* in textum recipi maluit, quo remedio sententiae quidem loci succurritur, sed durum nascitur loquendi genus. In vocabulo *centuriones* igitur militum legionariorum significationem latere suspicor, ad quam illud de quo diximus *e centuriis* referatur. Conicio autem fuisse *centuriatos* i. e. milites legionarios, qui per centurias divisi Liguri, qui auxiliis adscriptus est, opponuntur.

Ac transponendo quoque codici P subveniendum esse cum Dietschio aliisque persuasum habemus (cf. quod a Ritschelio transpositis verbis emendatum supra p. 169 adscripsimus). Itaque tractabimus Iug. 14, 13: *Quod in familia nostra fuit, praestitit, uti in omnibus bellis adesset*

vobis: nos uti per otium tuti simus, in vostra manu est, patres conscripti. Haec a Iordano exhibita non prorsus ita exarata sunt in P, qui praebet: *fuit: . prestitit* et in margine ab eadem ut videtur manu adscriptum habet: *. in p̄sentia.* Quae quidem verba huc quadrare nemo erit qui contendere audeat. Ab hoc igitur loco movenda, neque vero omnino abicienda ea censeo, sed eo transpono, ubi accurata verborum contentione instituta etiam requiri videntur. Agedum legamus: *Quod in familia nostra fuit, praestitit, uti in omnibus bellis adesset vobis: nos uti per otium in praesentia tuti simus* et q. s.

Eodem modo alter locus corrigendus videtur Iug. 63, 7: *Novos nemo tam clarus neque tam egregiis factis erat, quin is indignus illo honore et quasi pollutus haberetur.* Concedo pronomen *is*, quod Bipontini in *his* mutarunt, defendi, quamquam cur hic mentem legentis ferire voluerit scriptor — quod ait Kritzius — minus intellego. Sed nunquam Sallustius verbum *polluere* ad homines refert, cf. Cat. 11, 6. Iug. 15, 5. 41, 9 inque primis Cat. 23, 6: *Pleraque nobilitas invidia aestuabat et quasi pollui consulatum credebant, si eum quamvis egregius homo novos adeptus foret.* Hanc sententiam nostrae simillimam secutus ita nostrum locum transponenda vocula *is* restituo: *Novos nemo . . . erat, quin indignus illo honore et is* (sc. honor) *quasi pollutus haberetur.*

Porro ad eum transgredior locum, quem delendo sanasse mihi videor. Et esse quidem P foedatum glossematis non recentiores primi viderunt, inter quos Dietschius saepissime ad grave hoc remedium confugit, felicissime Ritschelius, qui Cat. 22, 2 *atque eo dictitare fecisse* eiecit; sed vidit iam vetus codicis P emendator. Cat. 20, 5 enim, ubi P praebet: *quae mente frequenter mente uersavi agitavi, p* verba *frequenter mente uersavi* inclusit et supra scripsit *haec glosa est.* Item Iug. 31, 19 a P scriptum est: *contempnit profecto sci-*

licet, a *p* supra scriptum: *glosa est*, et *profecto* inclusum. — Iug. 55, 6 igitur scriptor post ea, quae de gaudio Romae orto nuntiata Metelli victoria retulit, quam caute quamque anxie ipse Metellus rem peregerit, narrat: *Exercitus partem ipse, reliquos Marius ducebat. sed igni magis quam praeda ager vastabatur. duobus locis haud longe inter se castra faciebant.* Mirarer, si quis, obiter monitus, non statim videret, hisce de igni ac praeda verbis (*sed igni . . . vastabatur*) interpositis pessime locum turbari. Quae si deleveris, narratio de exercitus partibus ducendis inchoata optime continuatur iis, quae de castris faciendis deinceps narrantur. Quod si quis quaerit, unde haec verba in perpetuitatem orationis illata sint: in margine olim adscripta fuisse videntur ut explicarent cap. 64 § 6: *Itaque (sc. Metellus) in loca Numidiae opulentissima pergit, agros vastat, multa castella . . . capit incenditque.*

Supplendo quoque Ritschelius (Mus. Rhen. XXI 316) conclamatum Sallustii locum emendavit Cat. 53, 5 *sicuti effeta vi parentum* (cf. Weidemanni coniectura ab Hermannō Sauppe in indice schol. Gott. hib. 1867/68 p. 15 laudata: *sicut vi effeta parentum*), id quod instar multorum huius corruptelae exemplorum afferro. Nos hisce locis aliquid deesse, quod inserendum sit, conicimus:

Cat. 37 sq. a Sallustio ea describuntur hominum genera, quae, cum egestatem suam vel per maximas rei publicae perturbationes facile haberent sine damno, misceri omnia cupiebant. Atque hi homines, postquam tribunicia potestas, quam Cornelius Sulla sustulerat, a. 684 u. c. restituta est, ipsi aliquanto potentiores et animosiores facti sunt ita, ut magna oriretur contentio inter hos et nobilium factionem, qui senatus specie pro sua magnitudine summa ope illos impugabant. Utrique autem certos rectosque fines supergressi sunt: nam neque illorum studia modeste procedunt neque horum contentio moderata est. Iam vide, quaeso, haec omnia quam

bene cohaereant inter se quamque apte progrediatur sententiarum ordo. Sed ea, quae 38, 4 praebent libri, cum hoc, quem sana ratio efflagitat, ordine minime concinunt; legimus enim: *Neque illis modestia neque modus contentionis erat.* At ea, quae proxime insequuntur, si perlegeris: *utrique victoriam crudeliter exercebant* — illud *utrique* iterum ad eum, quem exposuimus, sententiarum nexum pertinere intelleges. Necessesse enim est, illud *utrique* ad duas, quae in antecedente enuntiatione commemorari debebant, partes, quibus res publica lacerata est, referri. Harum autem partium una tantum eaque popularis significatur pronomine *illis*, scilicet quibus modestia non erat; adversariorum i. e. nobilium, quibus contentionis in illos modus deerat, item mentio fieri debebat. Quamobrem suum nostro restituere mihi videor, post syllabam *is* pronomem *his* inserens, ut ita locus exhibeatur: *Neque illis* (i. e. popularibus) *modestia neque modus contentionis his* (i. e. nobilibus) *erat.* Tum optime continuatur: *utrique victoriam crudeliter exercebant*, praesertim cum cap. 39 quoque de duabus partibus, de plebis opibus et de paucorum potentia agatur.

Alter locus, quem item parva lacuna laborare suspicor, est Iug. 10, 1: *Parvom ego, Iugurtha, te amisso patre sine spe sine opibus in regnum meum accepi, existumans non minus me tibi quam liberis, si genuissem, ob beneficia carum fore.* Vocabulum *liberis*, quod ad unum omnes praebent codices manu scripti, delevit Ursinus, quem secuti sunt permulti, recte illud quidem agentes, quod *liberis* ineptum esse censuerunt, sed audacius fortasse, cum statim illud vocabulum eiciendum putarent. Primum enim, si nondum Micipsa liberos genuerat, cum Iugurtham parvulum acciperet, iure Dietschius monuit mirum profecto esse, quod liberos rex commemoraret, quos utrum geniturus esset necne tum incertum fuit. Sin vero, quod Muellerus elicere sibi videbatur ex verbis non nullis, quae extant 5, 7: *Is Adherbalem et Hiempsalem*

ex sese genuit Iugurthamque filium Mastanabalis fratris, quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum dereliquerat, eodem cultu quo liberos suos domi habuit — si igitur post genitos liberos Micipsa Iugurtham in regnum accepit: verba quam *liberis*, si *genuissem*, universae loci sententiae repugnare, non est quod moneam. Praeterea illud tenendum est, quod observavit Kritzius, servata librorum scriptura verba *ob beneficia* etiam ad *liberis* referri, id quod a loci ratione abhorret. Quae cum ita sint, mutandam esse codicum lectionem persuasum habeo. Sed ne iis, qui omnino *liberis* delent, assentiar, eo impediatur, quod, unde et qua de causa huc irreperit illud vocabulum, prorsus non video. Ac ne Dietschius quidem recte fecisse videtur, qui *liberos* olim¹⁾ scribendum putavit; sic enim oppositio nascitur quaedam inter *me* et *liberos*, quam minus aptam esse evincunt ea quae sequuntur enuntiata; nam si hic dixisset Micipsa, re vera (*neque ea res falsum me habuit*) liberos suos Iugurthae iam caros esse: non posset profecto eundem postea monere et obtestari, uti hos, qui beneficio suo ipsi fratres essent, caros haberet. Novam igitur emendandi rationem circumspectans, post voculam *quam* praepositionem *in* excidisse suspicatus sum, qua inserta is sensus loci efficietur, ut Iugurthae amor beneficiis excitatus cum insito liberorum amore comparetur. Micipsa enim haec dixisse videtur: *Parvom... accepi, existumans, non minus me tibi, quam in liberis si genuissem, ob beneficia carum fore*. Simili modo pluribus locis Sallustius praepositione *in* cum verbis transitivis iuncta usus est, ubi alterum accusativum expectaveris, velut nostro loco: *si te filium genuissem*. Cf. Cat. 2, 2. 19, 2. Iug. 17, 3. alias.

Tertium locum una litterula inserta correctum iri spero. Iug. 65, 3 enim haec tradita sunt in codicibus: (Marius)

¹⁾ In editione a. 1867 Dietschius [*liberis*] exhibuit.

hominem ob morbos animo parum valido secunda oratione extollit: illum regem, ingentem virum, Masinissae nepotem esse. Sed *ingentem virum*, neque per se credibile neque auditum alias apud Sallustium, suspicionem corruptelae eo magis movet, quod hoc adiectivum saepissime a scriptore usurpatur, nunquam vero cum substantivo, quod personam quandam, non rem significat, coniungitur. Comparato igitur loco simili Hist. III 13 D: *Ingens ipse virium atque animi*, ubi *ingentes vires* et *ingens animus* iuxta se ponuntur, nostro loco animum parum validum et *ingentes vires* sibi opponi ratus conicio: *hominem ob morbos animo parum valido . . . extollit: illum regem, ingentem virum, Masinissae nepotem esse,*

Superest ut non ex se ipso, ut ita dicam, sed ex iis quoque, qui eum imitabantur, scriptoribus Sallustium emendari uno exemplo demonstrem. Latior haud dubie hac emendandi ratione campus aperitur; sed idem multo magis lubricus quam angustus ille, quo ipsius scriptoris usus continetur, gyrus maiorem etiam requirit iudicandi cautionem et diligentiam. — Legimus apud Iordanum Jug. 38, 10: *Quae quamquam gravia et flagiti plena erant, tamen quia mortis metu nutabant, sicuti regi lubuerat pax convenit.* Iordanus enim non ferendam censuit codicis P scripturam *mutabantur*, quocum plerique meliores libri consentiunt, nisi quod in Naz. correctum erat *motabantur*, et in Tur. legitur *minutabantur* et in Commeliniano *tenebantur*. Sed et hac lectionis discrepantia et varia, quae in deteriorum librorum turba occurrit, scriptura nihil aliud efficitur, nisi ut mirum illud *mutabantur* iam dudum emendatorum studia evocasse perspiciamus; nam *urgebantur*, *mulctabantur*, *nitebantur*, *cogebantur*, *ferebantur*, *tegebantur*, *angustiabantur* atque adeo *mortis metuebant pericula* quin pro futilibus librariorum commentis habenda sint, dubitatione caret: Unum in his laudandum est, quod illud *mutabantur*, ab ipso ut videtur archetypo traditum, falsum viderunt esse, id quod inter recentiores editores, quos quidem adire potui, et Fabrius

et Gerlachius et Linkerus minus intellexerunt. Iacobsius quoque illud *mutabantur* in editione ausus est servare, quod olim frustra defendere conatus est Lechnerus in Observatt. in non nullos S. locos p. 18 sqq. Verbum *mutare* enim a Sallustio ita usurpatur, ut id quod datur casu accusativo, id quod accipitur ablativo positum sit, cf. Cat. 58, 15. Iug. 44, 5. or. Phil. 7. or. Macr. 26. Hist. inc. f. 65 D. Nam Iug. 83, 1, ubi praepositione utitur scriptor, locus a nostro diversus est; item 85, 10, ubi unus tantum casus ponitur Et Iug. 18, 5 verbo *mutare* non id quod accipiunt homines, sed quod inter se dant significatur. Itaque ne nostro quidem loco Sallustium, ab usu suo recepto discedentem, accusativo casu id quod accipitur posuisse credibile est. Neque minus falsum esse, quod codices non nullos secutus cum aliis scripsit Cortius: *mutabant*, quod eodem sensu atque *mutabantur* intellegi voluit, et Fabrius ostendit et Kritzius, qui verbum *mutare* non idem esse ac *mutari* (sc. ab aliquo), sed *mutare se ipsum* significare docuerunt. Idem Kritzius Langium quoque, qui *mutare* idem esse ac *pacisci* hariolatus erat, refellit, sed ne ipse quidem, cum *mutabant* scriberet et *se mutabant* explicaret, verum adsecutus est. Nam recte Fabrius monuit, *se mutabant* non idem indicare, quod *aliam speciem induebant, alia videbantur atque erant*. Diverso modo locum tentaverunt Gehlenius et Klimscha (cf. huius progr. gymn. Iuvav. p. 11 sqq.). Ac quod ille quidem sagaciter excogitavit: *quia mortis metu metiebantur*, simili loco, qui est Cat. 31, 2: *suo quisque metu pericula metiri* — non commendatur, sed refutatur. Ibi enim *metiri* eodem sensu usurpatur atque *aestumare quanti sint pericula*, quae notio a nostro loco alienissima est; Gehlenii inventum enim non licet interpretari nisi tamquam *comparare utrum maius sit*. Klimscha vero coniecit *multum agitabantur*, a librorum scriptura nimium recedens et languidum, ni fallor, efficiens sensum. Quod vero Dietschius in ed. mai. a. 1859 proposuit et in ed. min. a. 1867 repetiit: *quia mortis metum intuebantur*, artificiosius dictum videtur; nam non metum

mortis intuebantur, sed mortem ipsam intuentes metu affecti sunt. Iordanus, nulla harum coniecturarum captus, e Rivii Basileensi deprompsit *mortis metu nutabant*; idem olim fecerant Bipontini et Muellerus, hi quidem merito propterea impug-nati a Gerlachio. Recipiendam non fuisse hanc scripturam, breviter et apte adnotavit Dietschius in ed. 1867 p. IX, cuius verba haec sunt: Nemo recte dicitur, quia mente dubia haesitasset, aliquid probasse, set in dubitatione certa aliqua cogitatione ad capiendum quamvis turpe et grave consilium confirmatus esse. Uno vero nomine Iordani sententiam lau-dandam puto, quod e Tacito salutem huic loco petendam cen-suit. Neque vero ex Hist. II 76 sed ex eodem primi His-toriarum libri capite nostrum emendaverim, ubi haec legimus: *Nusquam fides aut amor: metu huc illuc nutabantur*; cf. Tac. Ann. VI 42 (36) *ad poenitentiam mutari*. Pertinet autem hic verbi usus ad primariam eius notionem; nimirum *mutari* ex *movitari* ortum similem sensum, ac *moveri*, praebet. Scribendum igitur: *quia mortis metu huc nutabantur*.

Plura de ea, quae inter singulos Sallustii et Taciti locos intercedit, similitudine atque de Sallustii imitatione Tacitina egregie disseruit Woelfflinus in Philol. v. XXVI p. 122 sqq. Supplerunt, quae ipse collegit, in Agricola quidem Teuffelius l. l. p. 29 et Urlichsius in programme universitatis Wirce-burgensis, quod inscribitur de vita et honoribus Agricolae p. 4 sqq. Addo praeterea:

- | | |
|--|--|
| Agr. 10: .. referam .. quia
tunc primum perdomita est. | Iug. 5, 1: .. scripturus sum ..
quia tunc primum et q. s. |
| Agr. 26: ancipiti malo. | Iug. 67, 2: anceps malum. |
| Agr. 30: postquam cuncta va-
stantibus defuere terrae, et
mare scrutantur. | Or. Mithr. 17: Romanos, post-
quam ad occidentem per-
gentibus finem Oceanus fe-
cit, arma huc convortisse. |
| Agr. 33: Excepere orationem
alacres. | Cat. 21, 1: .. accepere ea ho-
mines. |

Atque haec quidem de Agricola Taciti. Ex historiarum autem libro primo Woelfflinus quattuor affert locos quibus Tacitus Sallustium expressisse videatur. Nos plures animadvertimus:

Tac. Hist. I.	Sall.
7: <i>domum ultro compositum.</i>	Iug. 111, 4: <i>composito dolo.</i>
7: <i>mobilitate ingenii.</i>	Cat. 49, 4: <i>animi mobilitate.</i>
7: <i>venalia cuncta.</i>	Iug. 8, 1: <i>omnia venalia</i> cf. 20, 1.
21: <i>nulla spes, omne in turbido consilium.</i>	Cat. 21, 1: <i>neque spes bona ulla, . . . quicta movere magna merces.</i>
21: <i>mortem omnibus ex natura aequalcm oblivione apud posteros vel gloria distingui.</i>	Iug. 1, 5: <i>pro mortalibus gloria aeterni.</i>
29: <i>ut quisque obvius fuerat.</i>	Iug. 26, 3: <i>uti quisque armatis obvius fuerat.</i>
29: <i>in vestra manu positum est.</i>	Iug. 14, 13: <i>in vostra manu est.</i>
30: <i>nemo . . . imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit.</i>	Cat. 2, 4: <i>imperium facile eis artibus retinetur, quibus initio partum est.</i>
49: <i>obtentui, ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur.</i>	Or. Lep. 24: <i>vilitis optentui.</i>
51: <i>ingenio loci.</i>	Hist. III 18 D: <i>ingenio loci.</i>
51: <i>viri arma equi.</i>	Iug. 51, 1: <i>arma tela equi viri.</i>
52: <i>in maius . . . accipiebantur.</i>	Iug. 73, 5: <i>in maius celebrare.</i>
53: <i>miscere cuncta . . . statuit.</i>	Cat. 10, 1: <i>miscere omnia coepit.</i> Cf. Cat. 2, 3. Iug. 12, 5.
53: <i>privata vulnera rei publicae malis operire.</i>	Cat. 31, 9: <i>incendium meum ruina restinguam.</i>
54: <i>acrius volvens.</i>	Iug. 113, 1: <i>diu volvens.</i>
65: <i>magnitudinem praedae ostendebant.</i>	Iug. 68, 4: <i>praedam benigne ostentat.</i>
88: <i>in pace lapsi turbatis rebus alacres et per incerta tutissimi.</i>	Or. Phil. 7: <i>quibus quies in seditionibus, in pace turbatae sunt.</i> Cf. Cat. 37, 3.

Sed de his rebus iam satis expositum videtur. Epimetrum addere libet quo de uno saltem loco agam earum Sallustii orationum, quae ex Historiarum libris excerptae extant in codice Vaticano 3864. Ibi traditum est, in oratione Lepidi cos. haec scripsisse Sallustium § 24: *Neque aliter rem publicam et belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes, praeda civilis acerbissima, ius iudiciumque omnium rerum penes se, quod populi Romani fuit.* His verbis, quae orator Lepidus Sullam facientem inducit, ea paucis comprehenduntur, quae antea fusius disputata atque explicata erant. Tria autem sunt, quibus proferendis id efficere vult orator, ut agendum atque obviam eundum (§ 7) esse cives intellegant. Ac primum quidem, ne civium spolia penes illos sint (7), qui dominationis in cives servitium suum mercedem dant (2); deinde ne plebis innoxiae patrias sedes satellites Sullae occupent (12); tum ne leges iudicia denique necis civium et vitae licentia penes unum (13) maneat. Quarum rerum duas hoc nostro loco conceptis verbis repetitas cernimus, *plebem agris expulsam et ius iudiciumque omnium rerum* a Sulla adfectatum. At quid sibi vult mirum illud *praeda civilis acerbissima*? Desideratur profecto participium, quod cum verbis *praeda civilis* coniunctum participio illi *expulsa* idemque locutioni *penes se* i. e. *a se adfectatum* respondeat. Quam ob rem iure suo Dietschius verborum structuram ita impeditam esse putavit ut, apud quos tandem praeda civilis de Sullae sententia manere deberet, inserendum crederet. Quod cum recte perspexerit vir doctus, idem tamen ea re falsus est, quod post *acerbissima* excidisse aliquid suspicabatur. Sub ipsa enim voce *acerbissima* illud quod quaerimus participium latere veri similis esse mihi quidem videtur. Facillima igitur mutatione usus scripserim pro

ACERBICCVMA

A CERVIC CVMPTA.

Haud dubie enim hoc *praeda civilis a servis sumpta* idem est, quod primum ab oratore proferri argumentum



supra demonstravi, quodque eiusdem orationis §§ 17. 21
his fere verbis exprimitur: *bona civium quasi Cimbrica praeda
venum aut dono data, scilicet Vettio isti Picenti et scribae
Cornelio, Tarulae Scirtoque, pessumis servorum.*

EMENDANTVR:

Cat. 14, 2	pag. 12.
Cat. 35, 3	„ 13.
Cat. 18, 4	„ 28.
Iug. 93, 8	„ 29.
Iug. 14, 13	„ 30.
Iug. 63, 7	„ 31.
Iug. 55, 6	„ 32.
Cat. 38, 4	„ 32.
Iug. 10, 1	„ 33.
Iug. 65, 3	„ 34.
Iug. 38, 10	„ 35.
Or. Lep. 24	„ 38.

CORRIGENDA.

Pag. 9 l. 6	ab inf. pro „Item“ legendum „Idem“.
„ 10 „ 2	pro „litteri saut“ legendum „litteris aut“.
„ 12 „ 17	pro „enunciati“ legendum „enuntiati“.
„ 13 „ 4	pro „aut ganeo“ legendum „aut adulter“.
„ 15 „ 8	ab inf. pro „quod“ legendum „quo“.
„ 16 „ 16	pro „supra“ legendum „a prima manu“.
„ 19 „ 3	post „rege“ inserendum „Cirtae“.
„ 19 „ 2	ab inf. post „c. 7“ adde „v. 55“.
„ 21 „ 5	ab inf. pro „p. 155“ legendum „p. 8“.
„ 21 „ 3	ab inf. pro „p. 169“ legendum „p. 12“.
„ 25 „ 14	ab inf. pro „tres“ legendum „duos“.
„ 26 „ 6	ab inf. post „omnes“ adde „loci“.
„ 32 „ 14	pro „64“ legendum „54“.

METAL EDGE, IN

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 096 837 2